

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Hajo Nessen van Friedrich Korfey

## **Disputatio De Rei Vindicatione**

[Rostock]: Reusner, 1606

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728317338>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 22. Aug. 1606  
a Nessa, Haione



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn728317338/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728317338/phys_0002)

DFG

3

31

C  
t

A  
B

# Disputatio DE REI VIN- DICATIONE,

Quam

D. O. M. A.

Decreto Amplissimæ Facultatis Juridicæ in cele-  
berrima Rosarum Academia,

Praefide

Magnifico Viro,

DN. HAIONE A NESSA, ICto,  
Illustriss. Iuniorum PRINCIPVM Mega-  
pol. Cancellario, dictaq; Facultatis Professore  
ordinario, ac pro tempore Decano,

Pro gradu Doctoris in utroq; Iure  
consequendo,

I.D. 182.<sup>31.</sup> Discutiendam publicè proponit  
**FRIDERICVS Korfey**  
Lemg. VWestph.

Fict Disputatio in Auditorio magno 22. Augusti,  
initio hora sexta matutina facta.

Excusa in officina Reusneriana.

Anno 1606.



# THESES I.

**V**erum indicationis vocabulum licet generale sit, & ad omnes in rem actiones pertineat: actioni tamen in rem civili de re corporali maximè propriè rei vindicationis verbum attribuitur, & de ea quoq; (volente Deo) hac nostra disputatione paucis sumus acturi.

2. Quæ quidem rectè definitur, quòd sit vindicatio rei corporalis domino contra detinentem data:

3. Estq; directa, quæ de proprietate directò competit: vel utilis, ex æquo & bono introducta.

4. Causa efficiens remota hujus actionis est lex 12. tabularum: proxima dominium ex parte actoris, & ex parte rei detentio.

5. Et hæc duo adeò necessaria sunt, ut si alterutrum omittatur, vel non probetur, actio nulla sit, reusq; etsi nihil præstiterit, absolvatur.

6. Hæc igitur actio ei competit, qui aut jure gentium, aut jure civili dominium acquisivit.

7. Nec ideo minus rectè quid nostrum esse vindicabimus, quòd abire à nobis dominium speratur:

8. Vnde si cui in diem addictus sit fundus, antequam adjectio sit facta, ut in rem actione potest, postea non poterit.

9. Si duobus in solidum prædium (à domino, vel non domino) jure distrahatur, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio potiorem haberi convenit.

10. Nec obtentu non datorum instrumentorum ab ipsius prædii possessione expelli potest.

A 2

Et si

11. Et si à Titio fundum quis emerit Sempronij, eiq; traditus sit, pretio soluto: deinde Titius Sempronio heres extiterit, & eundem alij vendiderit, & tradiderit, æquiū est, ut prior potior sit.

12. Datur etiam hæc actio marito, & uxori de re dotali adversus extraneum.

13. Et is, qui rem usucepit, civilem hanc actionem habet.

14. Ut & nudæ proprietatis dominus: rectè enim dicimus eum fundum totum nostrum esse, etiam cùm ususfructus alienus est.

15. Sed cùm is, qui aliena pecunia comparat, non ei, cuius nummi fuerunt, sed sibi dominium, si ei fuerit tradita possessio, quærat: meritò quoq; ei vindicatio datur.

16. Nisi fortè pecunia militis res empta fuerit: huic enim obtentu militiae utilis vindicatio non denegatur.

17. Et si tutor, vel curator ejus, cuius negotia administrat, prædium in nomen suum emerit, utilis actio ei, cuius pecunia fuit, datur ad rem vindicandam.

18. Eodem modo, cùm res, quæ ex dotali pecunia comparatae sunt, dotales videantur, uxori utilem earum rerum vindicationem competere defendemus.

19. Datur hæc actio adversus eum, qui nullo quidem jure nobis obligatus est, verùm rem nostram possidet.

20. Nihilq; interest, sive civiliter, sive naturaliter possessioni incumbat, vel saltem rem teneat, modò restituendi facultatem habeat.

21. Verùm qui rem tantùm tenet, nominando dominum statim in judicio liberatur.

22. Quòd si hoc non fecerit, & sententia contra illum feratur, domino in possessione non præjudicat.

Sed &

23. Sed & is, qui ante vel post litem contestatam dolo  
desiit rem possidere, tenetur in rem actione.

24. Nec is, qui se obtulit rei defensioni sine causa,  
cum non possideret, nec dolo fecisset, quo minus possi-  
deret, si actor id ignoret, absolvendus est.

25. Deniq; & contra heredes, si rem possideant, vel  
lis cum defuncto contestata sit, hæc actio datur.

26. Specialis hæc in rem actio locum habet in omni-  
bus rebus corporalibus, mobilibus, tam animalibus,  
quam his, quæ anima carent, & in his, quæ solo conti-  
nentur.

27. Et per hanc actionem non solùm singulæ res vin-  
dicantur, sed etiam grex: Idem de armento, equitio, ca-  
terisq; quæ gregatim habentur, dicendum est.

28. Loca verò sacra, item religiosa, & quæ iis adhæ-  
rent, quasi nostra, hac actione peti non possunt.

29. Nec liberæ personæ, quæ sunt juris nostri, utputà  
liberi, qui sunt in potestate: nisi forte adjiciatur causa ex  
jure Quiritum.

30. Sic etiam tignum alienum ædibus junctum vindicari  
non potest propter legem 12. tabularum, nec eo no-  
mine ad exhibendum agi, nisi adversus eum, qui sciens  
alienum junxit ædibus.

31. Vindicatio quoq; peculij recepta non est: sed res  
singulas is, cui legatum peculium est, petet.

32. Porrò in rem hodiè ita rectè agitur, ut actor in li-  
bello proponat se rei, quæ ab adversario possidetur, esse  
dominum, vel quasi.

33. (Publicianæ enim & rei vindicationis cumula-  
tionem, propter probandi dominij difficultatem, consue-  
tudine introductam esse videamus)

34. Sed ut hoc rite fiat, actori vel omne jus suum in judicium deducere, vel specialem sui juris causam exprimere incumbit.

35. Quin & certis demonstrationibus ac circumstan- tias rem, & utrum totam, an partem, & quotam petat, de-signare debet.

36. Quod si in corpore conveniat, error autem sit in vocabulo, nihilominus recte actum esse videtur.

37. Deniq; ad formandam recte hanc actionem, cùm actor dominus sit vel quasi, sicut & declarari cu-pit, ejus petitio, de re sua ab adversario sibi restituenda, necessariò quoq; requiritur.

38. Et sic actor non solum in foro rei: sed & in lo-co, in quo res, propter quam contenditur, constituta est, hanc in rem actionem adversus possidentem movere potest.

39. Nec hic inter rem mobilem & immobilem di-stinguendum esse putamus.

40. Præterea cùm post dominiorum distinctionem sæpius contingat, ut rei nostræ possessionem non sem-per retineamus, sed quandoq; aliis quispiam eam sine nostro consensu adipiscatur.

41. Ideo rei vindicatio introducta est, ut dominio-res sua cum omni causa (ut paulò post explicabitur) re-stituatur, & unusquisque, quod suum est, obtineat.

42. Effectus hujus actionis est, ut intentione acto-ris legitimè probata, judex reum, ad rem cum omni causa actori statim restituendam, condemnnet.

43. Qui autem restituere jussus, judici non paret, con-tendens non posse restituere: siquidem habeat rem, ma-nu militari officio judicis ab eo possessio transfertur.

Si non

44. Si non potest restituere : siquidem dolo fecit, quo minus possit, is , quantum adversarius in item sine ulla taxatione in infinitum juraverit, damnandus est.

45. Quod si actor jurare non vult, sed , quanti res sit, adversarium condemnari mavult, mos ei gerendus est.

46. Si verò nec potest restituere , nec dolo fecit , quo minus possit, non pluris, quam quanti res est , condemnari debet.

47. Quod si possessor neget in præsenti se restituere posse , & sine frustratione videatur tempus restituendi causa petere , indulgendum est ei : ut tamen de litis æstimatione caveat cum fidejussore, si intra tempus , quod ei datum est, non restituerit.

48. Non solum autem rem restitui, verùm & si deterior res sit facta, & quanto rationē judex habere debebit.

49. Verùm si res petita casu fortuito post moram interierit, quid sit dicendum inter interpres non convenit? Si forte rem distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo pretium debere præstari verius est.

50. Nec sufficit rem ipsam restitui, sed opus est , ut & causa rei restituatur : id est, ut omne habeat petitor, quod habiturus foret, si eo tempore , quo judicium accipiebatur, restituta illi res fuisset.

51. Itaq; unà cum re petita ejus accessiones , partus, fructus, & lucra, quæ ratione rei petitæ possessori obvenierunt, restitui debent.

52. Verùm fructus non ab omnibus indistinctè restituuntur : malæ fidei enim possessor omnes omnino , naturales & industriaes, extantes & consumptos , percipios & honestè percipiendos restituere tenetur.

53. Bonæ fidei autem possessor consumptos quidem fructus omnes suos facit ; anne verò extantes indistinctè quoq;

quoq; lucretur, inter interpretes controvertitur? Nos quæ sententia juri magis consentanea sit disputando investigabimus.

54. Et licet ex fructibus consumptis locupletior sit factus, de jure tamen ad restituendam eorum æstimationem non rectè convenitur.

55. Sed postquam rem alienam esse bonæ fidei possessor cognoscit, deinceps fructus suos non facit.


56. Et quamvis prædicto modo possessor rem unà cum omni causa restituere teneatur: æquum tamen est, in ejus quoq; persona haberi rationem impensarum: non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere:

57. Itaq; necessarias impensas tām malæ, quām bonæ fidei possessor rectè deducit.

58. Sin autem utiles malæ fidei possessor fecerit, licentia ei permittitur, sine læsione prioris status rei eas auferre.

59. Et licet malæ fidei possessori probè dicatur, non debuisse in alienam rem voluptuarias impensas facere: nihilominus tamen potestas quoq; ei fit tollendorum eorum, quæ sine detimento ipsius rei tolli possunt.

60. Deniq; rei vindicationi exceptio præscriptio-  
nis, & aliæ, opponi possunt, de quibus Vves, in par. hic.  
n. 10, & ab eo citati videantur.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn728317338/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728317338/phys_0011)

DFG



44. Si non potest restituere : si quidem minus possit, is , quantum adversarius in taxatione in infinitum juraverit, damnand

45. Quòd si actor jurare non vult, sed, adversarium condemnari mavult, mose ei cro

46. Si verò nec potest restituere , nec diminùs possit, non pluris, quām quanti res nari debet..

47. Quòd si possessio neget in præsente posse , & sine frustratione videatur tempora causa petere , indulgendum est ei : ut tamematione caveat cum fidejussore, si intra tempore datum est, non restituerit.

48. Non solum autem rem restitui, ve  
rior res sit facta, & quantò rationē judex h

49. Verūm si res petita casu fortuito p  
terierit, quid sit dicendum inter interprete  
nit? Si forte rem distracturus erat petitor  
moram passo pretium debere præstari veri

50. Nec sufficit rem ipsam restitui, sed  
causa rei restituatur : id est, ut omne habeat  
habiturus foret, si eo tempore , quo judic  
tur, restituta illi res fuisset.

51. Itaq; unà cum re petita ejus access  
fructus, & lucra, quæ ratione rei petitæ po  
nerunt, restitui debent..

52. Verūm fructus non ab omnibus in  
tuuntur : malæ fidei enim possessio omnes  
turales & industriales , extantes & consu  
ptos & honestè percipiendos restituere te

53. Bonæ fidei autem possessio consu  
fructus omnes suos facit ; anne verò extar

